

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0427

0425

0431

0421

413

cum aqua illa colorem et saporem pellis novae contraxerunt.
Sed et amphorae nostrae, viasci et flascones, ad quae de
utribus aquas recepimus, eodem foetore infecta erant. His
tamen non obstantibus ad tantam sitim saepe venimus, quod
deficientibus aquis in nostris amphoris ora nostra ad utres
posuimus et aquam infectam de foetida pelle sugere delicias
computaremus et magnas grates (30 a) camelariis et asina-
riis diceremus pro admissione ad illam emulsionem, imo saepe
denariis argenteis emimus, ut de pelle carnulenta et foetida
aquam sugere possemus. Igitur coena facta stravimus nobis
sub tentoriis et non sine timore dormivimus, nam humus illa
erat multis foraminibus serpentum perfossa, a quibus infici
timuimus. Sed Deo protegente nihil molestiae illatum fuit
nobis in illo loco.

0436

0416

0476

0376

0526

0326

0926

Ulterior contra desertum processus ad interiora.

Duodecimo die mane ante lucem camelos oneravimus et
asinos stravimus et de Chawata in tenebris recessimus, len-
tissimo autem gradu procedere coacti sumus cum camelis et
asinis pro eo, quod tota terra illa fuit cavata per aspides et
serpentes et ubique erat plena foraminibus, ita, quod bestia
raro potuit passum facere vel pedem ponere sine immersione
profunda, nec erat peregrinus, qui illo mane non cecidit ter
aut quater de asino cum cadente bestia. Porro unus de nostris
camelariis viso longo et magno serpente arcum tetendit eum-
que sagitta laesit, viperam autem laesa in altum se tulit et
quasi ad vindicandum se contra laudentem conabatur, qui evagi-
nato gladio serpentem per medium divisit et partes a se invi-
cem longius projectit, jubens nos per medium procedere, ne
partes iterum reunirentur; putavit enim partes reuniri, nisi
homines per medium partium transirent. An autem hoc sit
superstitiosum, nescio. Nam et in nostris partibus idem vidi
fieri in serpentum divisione. Transivimus autem bene per
duas horas vel tres in illa forata terra, per quam nequaquam
potest esse transitus in vere, quando aspides et serpentes
suum cursum habent.

Ende

Anfang